

IOANNIS SCHÖ-

NERI MATHEMATICI CLARIS-

simi Libellus de distantijs locorum per nu-
meros & instrumentum inuestigan-
dis, antehac non æditus.

Pars prima huius de locorum intercapedine in milia-
ribus reperienda uia Arithmetica.



DIFFERENTIA autem eorum hoc modo extrahitur,
Intra primo tabulam proportionum parallelorum cum nu-
mero graduum longitudinum in fronte Tabulæ usq; ad
uersum gradus latitudinis in sinistro tabulæ, & quod in
communi angulo amborum numerorum inueneris extra
notabis ad partem, postea intra eandem seriem numerorū
differentia longitudinum cum uno gradu latitudinis addi-
to, & quod etiam in angulo communi amborum numero-
rum reperies, subscribe extra notato numero. Deinde sub-

trahe minorem numerum à maiori, & id quod remanet est differentia duorum nu-
merorum propositorum areæ tabulæ, quoniam in nostro proposito sumitur pars pro-
portionalis de differentia secundum proportionem minorum uel secundorum,
iuxta gradus integros latitudinis ad 60 mi. id est, ad unum gradum. Hoc est dicere,
quod de differentia accipitur una pars, quæ se habet ad totam differentiam in ea-
dem proportione in qua se habent minuta, uel aliæ fractiones latitudinis ad 60 mi.
Exemplum, si contingeret te intrare tabulam proportionum parallelorum cum dif-
ferentia graduum longitudinum 5, & cum parallelo graduum 49. mi. 30. Primo
intra cum 49 gra. paralleli sub serie 5. graduum longitudinum, & reperies in com-
muni angulo, gradus 3. mi. 16. secunda 49. Secundo intra cum 50 gradibus paral-
leli etiam sub serie 5 graduum differentia longitudinum, ut supra, & reperies gra-
dus 3. mi. 12. secunda 50. Subtrahe nunc minorem à maiori, & colliges diffe-
rentiam, minuta 3. secunda 59. Nunc uolo partem proportionalem de tali differen-
tia, scilicet minutis 3. secundis 59, secundum proportionem 60. minorum ad 30.
minuta, quæ fuerunt in differentia latitudinum ultra gradus 49. integros latitudi-
nis. Hoc est dicere: Volo inuenire unum numerum, qui se habeat in eadem propor-
tione ad minuta 3. secunda 59. in qua se habeant minuta 30. ad minuta 60.

Disponam igitur hos tres numeros per regulam de Tri, Arithmeticam proportio-
num taliter quod 60. mi. erit numerus primus & diuisor, secundus iam inuenta dif-
ferentia, scilicet minuta 3. secunda 59. reducta ad secunda, & sunt 239. secunda, ter-
tius numerus est minuta 30. id est, minuta ultra gradus 49. latitudinis. Nunc mul-
tiplico tertium numerum, scilicet 30. mi. per secundum, scilicet 239. secunda, & pro-
duco 7170. tertia, quæ diuido per 60 minuta, & proueniet minutū 1. secunda 59.
tertia 30. pars proportionalis de minutis 3. secundis 59. sicut 30. de 60. quia utro-
biq; proportio dupla est, quia modus iste laboriosus est, ideo ad euitandum multipli-
cem laborem multiplicationis, & diuisionis, composita est quædam tabula, quæ in-
titulatur tabula manualis proportionum ad 60 minuta, per quam pars proportiona-
lis faciliter potest inueniri. Cuius tabulæ usus talis est, Quære numerum eius, cuius
partem proportionalem uis in parte superiori uel inferiori, uel etiam in medio tabu-
læ, sub linea transversali inclinata, & alterum in latere dextro uel sinistro eiusdem ta-